

Sabbato ante dominicam secundam  
« per annum »

**BEATAE MARIAE VIRGINIS**  
**sub titulo**  
**« Dominae Nostrae de Arabia »**

**Patrona Vicariati Apostolici Kuvaitensis**

**Sollemnitas**

**Antiphona ad introitum**  
**25**

*Cf. Iudt 13, 23.*

Benedícta es tu, María, a Dómino Deo excélsa  
prae ómnibus muliéribus super terram;  
quia nomen tuum ita magnificavit,  
ut non recédât laus tua de ore hóminums.

*Dicitur Glória in excélsis*

**Collecta**

Deus, Creator et Pater,  
qui hómines voluísti salvos fieri  
et ad agnitiónem Iesu Christi Fílii tui venire,

concéde, quaesumus,  
Beáta María Vírgine Dómina nostra de Arábia  
intercedénte,  
Ecclesiae tuae apud Sinum Persicum et in toto  
orbe terrarum  
tuam erga omnes caritatém proclamáre,  
ut genus humánum novitáte vitae in te perfrui  
mereátur.  
Per Dóminum.

*vel*

Deus, qui Fílium tuum, lumen géntium,  
per beátam Vírginem mundo manifestásti,  
praesta, quaesumus, ut eius mónita et exéempla  
séctantes,  
nostram fidem in Christum roborémus  
et eum unum Mediatórem agnoscámus  
et ómnium Salvatórem.  
Qui tecum vivit.

*Dicitur Credo.*

**Super oblata**

Cónsecra, Dómine virtúte Spíritus Sancti,  
múnera in memória sanctae Maríae tibi  
laetánter obláta,  
ut nobis corpus et sanguis Christi fiant,  
qui natus ex alma Vírgine Matre,

tuam glóriam manifestávit  
et totam vitam in hóminum salútem impéndit.  
Qui vivit.

### Præfatio

**V/.** Dominus vobíscum.                   **R/.** Et cum spiritu  
tuo.

**V/.** Sursum corda.                         **R/.** Habémus ad  
Dóminum.

**V/.** Grátias agámus Dómino Deo nostro.  
   **R/.** Dignum et iustum  
est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,  
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:  
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui in Fílii tui Genetríce magna fecísti  
et per eam salútem in nobis operári non désinis:  
ipsa enim, tuo providénti consílio,  
matérno in Ecclésia fúngitur múnere  
ac grátiae tuae dispensátrix exsístit fidélis;  
cuius verbis nos ádmones,  
exémplis ad Christi átrahis sequélam,  
précibus nobis indúlges.

Unde et nos tibi grátias ágimus,  
et tuas virtútes cum choris caeléstibus  
proclamámus,  
una voce dicéntes:  
Sanctus, sanctus, sanctus...

**Antiphona ad communionem**  
**1, 48**

**Cf. Lc**

Beátam me dicent omnes generatiónes,  
quia ancíllam húmílem respéxit Deus.

**Post communionem**

Sumptis, Dómine, sacraméntis caeléstibus,  
te súpplíces deprecámur,  
ut, qui beátae Maríae Vírginis  
memóriam venerándo recólimus,  
aetérni convívii mereámur esse partícipes  
Per Christum.

**Benedictio sollemnis**

Deus, qui praeteritórum témporum calíginem  
in partu Vírginis serenávit,  
solis iustítiae rádiis mentes vestras illúminet.  
**R/. Amen.**

Et qui Fílium suum in mundum misit  
redemptórem,  
tribuat vobis ad eius imáginem intus reformári.  
**R/. Amen.**

Ut cum sancta María, Sapiéntiae matre,  
tanta beneficiá grato ánimo conferéntes,  
ad Christi et beátae Vírginis exémplos

perpétuo componátis vitam et mores.  
**R/.** Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,  
Patris, et Filii, ✠ et Spíritus Sancti,  
descéndat super vos et máneat semper.  
**R/.** Amen.

## **Ad Lectionarium**

Lectio prima

***Lectionarium I, p. 162    Is 60, 1-6***

Psalmus responsorius

***Lectionarium I, p. 162    Ps 71, 1-2. 7-8. 10-11.  
12-13***

***(R/.: cf. 11)***

Lectio secunda

***Lectionarium III, p. 122    Rom 12, 9-16b***

Alleluia

***Lectionarium III, p. 123    Cf. Lc 1, 45***

Evangelium